

propter visibilibus horum inspectionem ad meditando de invisibilibus Dei : oriatur admiratio divinae potentiae in femine : quod ex sic parvo , sic arido , tantae magnitudinis & viriditatis , & pulchritudinis creatura formetur . Ex admiratione crescat devotio : ex devotione elevatio mentis : ita ut jam ipse hortulus fiat oratorium : & creatura insensibilis , creatoris magnitudinem praedicent . Sed cavendum est potissime , ne manus vestrae quicquam contingere audeant , quod vanis usibus possit aptari .

De horis vespertinis , & completorio .

Caput XXXIX .

SERPENS morum , omnis otiosus sermo expellatur de medio vestri . Nunquam risus , nunquam cachinnus cor vanum pronunciet . Sic sancti , sic pudici sint actus corporis cuncti : ut mentis sanctitatem exponant . Homo nempe exterior , interior index est . Sancto vos in labore , sancto vos in opere debellantes diabolum , vespertina hora reperiat : qua in Ecclesia sanctis Deus laudetur officiis .

Si festivitatis celebritas : si nimia debilitas communem cenulam brevemque refocillationem corporis potius quam ad delectationem paratam indulerit : vespertinae laudes Deo tempestivius persolvantur quam ceteris jejuniorum diebus : ut nec etiam debita laudes in ultima hora diei , vel omitantur , vel in aliquo detruncetur ob cenam . Post peractam cenam , vel si omittere post aliquam horulam , juxta exigentiam temporis ad Ecclesiam sorores campanella vocet : ubi vel de sanctorum gestis vel de aliis mirabilibus Dei lectio devota dicatur : Cui succedat completorii laudes : ut ex his roboratae mentes divino pabulo , nocturnis phantasiae occultisque fallaciis diaboli occurrere non formident , nec timeant dimicare : & sic à divinis obsequiis exortus dies , divinis finiatur in laudibus .

Post completorium vero nihil aliud quam silentium sentiatur : ut sorores quietae semotae totaliter corporeis sensibus , quae in praeterito tempore divinis audierunt lectionibus , ruminant mente , & restringant in corde . Haec meditans unaquaeque suam cellulam adeat : benedictione matris suscepta , & religionis habitum gestans , ut si natura exegerit se in intratu ad quiescendum componat . Si vero dormientem demon insequi coeperit quam vigilantem metuerat : si illusiones immiserit , si turpia cogitatae opposuerit : mox ut Dei sponsa persenserit exurgat : cedatque ignaviae & sopori , velox excubitus . Inde protinus horrendum & tremendum diabolo signum crucis opponat , sponsi dilecti invocet auxilium : & sponsus zelotypus qui nimio zelo sponfam custodit , exurgat protinus in auxilium sponsae suae . Scuto circumdabit eam , ne jam timeat à timore nocturno . Et cadent statim à latere ejus mille , & decem millia à dextris ejus : nec appropinquabunt ad eam . Postremo angelis suis mandabit ut custodiant eam in omnibus viis ejus , ne forte offendant ad lapidem pedem suum .

De caritate servanda erga infirmas sorores .

Caput XL .

BALNEARUM molliciem , caro sponsae Dei non suscipiat . Harum usus castis corporibus non competit . Satis nos ipsi experti quotidie quantum in membris nostris libidinis ignis exurat sentimus , etiam si ignis fomenta auferantur pro posse . Nimis est demens & fatuus , qui materiam preparans igni ad incendium , non vult ut ardeat . Ita decent miserimas mulierculas : cum periclitantur naufragio partus . Tamen si extrema necessitas infirmanti consulerit : servato omni pudicitiae honore , cum omni modestia fiat . Alias in servis Dei talia cogitare sit nefas . Summopere fervetur in vobis : ut erga infirmantes sorores , cum omni sollicitudine , omnis exhibeatur cura hospitalitatis , & praebentur integræ & totius pietatis obsequia . Si periculum exegerit : medicum sobrium & pudicum , & omni suspitione carentem , protinus consulat : & quae mandaverit sanitati congrua , omni domus necessitate postposita , benignè fiant . Si verò defunt necessaria : vendantur quae monasterii sunt : ne temporale aliquod misericordiarum impediatur opera .

Nulla lex esse , vel potus aut stratus astringat infirmam vel debilem . Tamen sollicitè cavendum est ne in glugvis gulae solitatis sub infirmitatis velamine , sua commoda quaerat : & ne infirmitas sub specie sanctitatis , corpus abstinentis conterat ultra vires : ne corpus duplici fractum stimulo , apud iustum iudicem deficiens , impium criminetur cenobium & homicidam . Deputentur custodes infirmantibus discretæ & sanctae sorores : quae sollicitè praevaleant pericula , quae imminere possunt infirmis : ne quid aliquo contingat adversi . Onera quælo non aggravent servitrices . Semper Christum cogitent in infirma sorore latentem : semper se cogitent posse in futurum talibus indigere . Semper lex illa naturae astricta teneatur sinu mentis , hominem debere aliis id exhibere , quod ab ipsis ipse deposceret . Non inficiat quælo hospitalitatis opera murmur , sed quod fieri debet , cum omni mansuetudine fiat , juxta Apostolum dicentem : Hospitalitatem sectantes , invicem in charitate sine murmuratione .

De auctoritate Episcopi & praepositi , circa observationes ordinis .

Caput XLI .

ECCE vobis , mea domina Eustochium & ceteræ dilectissimae Filiae Christi , Apostolicam vitam rudi & crasso stylo his chartulis scriptam , senex pater & propinquus jam morti , utpote centenarius in aetate , devoto affectu transmissit . Hoc speculum aeternum , per hoc aenigmatè in praesenti vita , felicitatis viam unaquaeque filiarum , assidua meditatione cernat . Non cautes grossities corticis , medullam requirendi contemptam . Non imperitias & rusticanas sermo , fastidium generet . Talia decent poëticas fabulas . Non est opus pietatis & totius veritatis legi rhetorum pompis . Haec omnia juvenum interfunct . Ex hac singulis diebus velut ex delectabili ferculo , singulum vobis sumite bolum . Hunc non transglutendo : sed magna morositate masticando , hinc inde transferte per ora , ut sentire valeatis dulcedinem . Fateor enim vobis quod ex his quae scribuntur si sedula sit meditatio , exurgat vobis talia , qualia lingua humana non novit , quamquam & hoc imperfectum sit opus . Nulla enim tam sancta , tam iusta , & diu provisã est constitutio : quae in futurum , plurimos non patiatur defectus : quae aliquando correctione non egeat . Propterea si quid in hac norma Apostolicae vitae & religionis , dispensatione , correctione , vel immutatione indiget : Episcopo vestro , aut praeposito vestro praesbytero sancto committo , ut secundum plenitudinem Spiritus sancti dispense , mutet & corrigat . Sic itaque carissimae filiae , sanctos vivite dies : Sic Christo nuptiali foedere copulatae , ut non vacua lampade paratas vos semper media in nocte cum venerit sponsus vocaturus ad nuptias inveniat : nequam vobis per exteriora quaerentibus oleum : ne tanquam fatuis ex tarditate , thalami negetur introitus . Senectutem vestri devoti Hieronymi , sanctis vestris juvate orationibus .

CENSURA EPISTOLAE SEQUENTIS .

Abundè satis arbitror admonere tantum hoc opus ejusdem artificis esse , cujus id quod proxime praecessit .

CHROMATIUS ET HELIODORUS
Episcopi Hieronymo .

DILECTISSIMO fratri Hieronymo praesbytero , Chromatius & Heliodorus Episcopi salutem in Domino . Ortum Mariae reginae virginis , simul & nativitatem atque infantiam Domini nostri Jesu Christi in apocryphis invenimus libris : in quibus multa contraria nostrae fidei considerantes scripta , recusanda credimus universa : ne per occasionem Christi , laetitiam Antichristo traderemus . Ista igitur nobis considerantibus , extiterunt viri Dei , Armenius & Virinus , qui dicerent sanctitatem tuam beatissimi Matthaei Evangelistae manu scriptum volumen Hebraicum invenisse , in quo & virginis matris & salvatoris infantia esset scripta : & idcirco tuam charitatem per ipsum Dominum nostrum Jesum Christum exoptimus : quatenus & illud ex Hebraeo Latino sub- tradas : non tantum ad percipiendum quae sunt Christi

signia , quantum ad haereticorum astutiam excludendam : qui ut doctrinam malam instituerent , bonam Christi nativitatem , suo mendacio miscuerunt : ut post dulcedinem vitae , mortis amaritudinem occultarent . Et erit ergo purissimae pietatis , vel ut rogantes fratres exaudias , vel Episcopos exigentes charitatis debitum , quod idoneum credideris recipere facias . Vale in Domino , & ora pro nobis .

HIERONYMUS CHROMATIO
& Heliodoro Episcopis .

DOMINIS sanctis & beatissimis , Chromatio & Heliodoro Episcopis , Hieronymus exiguus Christi servus in Domino salutem . Qui terram auri consciam fodit , non illico arripit quicquid fossa profuderit lacerata , sed priusquam fulgens pondus vibrantis iactus ferri suspendat , interim verendis suspendendisque celsitibus immoratur , & specialiter qui nondum lucris augetur . Arduum opus injungitur , cum hoc fuerit mihi à vestra beatitudine imperatum , quod nec ipse sanctus Matthaeus Apostolus & Evangelista voluit in aperto conscribi . Si enim hoc secretum non esset , Evangelio utique ipsius quod edidit addidisset : sed fecit hunc libellum Hebraicis literis obfignatum : quem usque adeo edidit , ut & manu ipsius liber scriptus Hebraicis literis à viris religiosissimis habeatur , qui etiam à suis prioribus per successus temporum susceperunt . Hunc autem ipsum librum , nunquam alicui transferendum tradiderunt : textum ejus aliter atque aliter narraverunt .

Sed factum est ut à Manichei discipulo nomine Seleuco : qui etiam Apostolorum gesta falso sermone conscripsit : hic liber editus , non edificationi , sed destructioni materiam exhibuerit : & quod talis probaretur in synodo cui merito aures Ecclesiae non paterent . Cesset nunc oblatrantium morsus : non istum libellum canonicis nos superaddimus scripturis : sed ad detegendum haereseos fallaciam , Apostoli atque Evangelistae scripta transferimus : in quo opere non tam piis iustitibus Episcopis obtemperamus , quam impiis haereticis obviamus . Amor igitur est Christi cui satisfacimus , credentes quod nos suis orationibus adjuvent : qui ad salvatoris nostri infantiam sanctam per nostram potuerint obedientiam pervenire .

DE NATIVITATE SANCTAE
Mariae .

PETITIS à me ut vobis rescribam , quid mihi de quodam libello videatur , qui de nativitate sanctae Mariae à nonnullis habetur . Et ideo scire vos volo multa in eo falsa inveniri . Quidam namque Seleucus , qui passiones Apostolorum conscripsit , hunc libellum composuit . Sed sicut de virtutibus eorum & miraculis per eos factis vera dixit : de doctrina vero eorum plura mentitus est : ita & hic multa non vera de corde suo confinxit . Proinde ut in Hebraeo habetur : verbum ex verbo transferre curabo . Si quidem sanctum Evangelistam Matthaeum eundem libellum liquet composuisse : & in capite Evangelii sui , Hebraicis literis obfignatum opposuisse : quod an verum sit , auctori praefationis & fidei scriptoris committo . Ipse enim ut haec dubia esse pronuncio : ita liquido falsa non affirmo .

Illud autem liberè dico , quod fidelium neminem negaturum puto , sive haec vera sint sive ab aliquo conficta , sacrosanctae sanctae Mariae magna miracula praecessisse , maxima consecuta fuisse : & idcirco salva fide ab his qui Deum ista facere posse credunt , sine periculo animae suae credi & legi posse . Denique in quantum recordari possum , sensum non verba scriptoris sequens , & nunc eadem sententia non eisdem vestigiis incedens : nec quibusdam diverticulis ad eandem viam recurrentis : sic narrationis styllum tentabo : & non alia dicam quam quae aut scripta sunt ibi , aut consequenter scribi poterunt .

Igitur beata & gloriosa semper virgo Maria de stirpe regia & familia David oriunda : in civitate Nazareth nata , Hierosolymis in templo Domini nutrita fuit . Pater ejus Joachim : Mater vero Anna dicebatur . Domus paterna est ex Galilaea & civitate Nazareth . Maternum autem genus ex Bethleem erat . Vita eorum simplex & recta apud Dominum , apud homines irreprehensibilis erat & pia . Nam omnem substantiam suam trifariam diviserunt . Unam partem templo &

templi servitoribus impendebant : aliam peregrinis & pauperibus erogabant : tertiam suae familiae usibus & sibi reservabant . Ita isti Deo chari , hominibus pii : per annos circiter viginti , castum domi conjugium sine liberorum procreatione exercebant . Voverunt tamen si forte Deus donaret eis sobolem : eam se Domini servitio mancipaturos : cujus rei gratia & Templum Domini singulis per annum festis frequentare solebant . Factum est autem ut enceniorum festivitas appropinquaret : unde cum nonnullis contribulibus suis Hierosolymam & Joachim ascendit .

Ea vero tempestate Isachar ibi pontifex erat . Cumque inter ceteros concives suos etiam Joachim cum oblatione sua videret , despexit eum , & munera ejus sprexit : interrogans cur inter fecundos , infecundus ipse stare praesumeret : dicens , munera nequaquam Deo digna posse videri : quem ipse prole indignum iudicasset , scriptura dicente : maledictum omnem esse , qui non genuisset masculum in Israël . Dicebat ergo prius cum ab hac maledictione , sobolis generatione solvendum , & sic demum in conspectu Domini cum oblationibus esse venturum . Cujus opprobrii obiectu , pudore magno suffusus Joachim , ad pastores qui cum pecudibus erant , in pascuis suis secessit . Neque enim domum repetere voluit : ne forte à contribulibus suis , qui simul aderant , & hoc à sacerdote audierant , eodem opprobrii elogio notaretur .

Verum cum ibi aliquandiu esset : quaedam die cum esset solus , angelus Domini ei cum immenso lumine altit . Qui cum ad ejus visionem turbaretur : angelus qui ei apparuerat , timorem ejus compescuit , dicens : Noli timere Joachim , neque in visione mea turberis . Ego enim sum Angelus Domini , missus ab ipso ad te , ut annunciem tibi preces tuas esse exauditas , & eleemosynas tuas ascendisse in conspectum ejus . Videns quippe vidit pudorem tuum , & audivit sterilitatis opprobrium non rectè tibi obiectum . Peccati namque non naturae ultor est Deus : & ideo cum alicujus uterum claudit , ad hoc facit , ut mirabilis denuo aperiat : & non libidinis esse quod nascitur , sed divini muneris cognoscatur .

Prima enim gentis vestrae Sara mater , nonne usque ad octogessimum annum infecunda fuit ? & tamen in ultima senectutis aetate genuit Isaac , cui repromissa erat benedictio omnium gentium . Rachel quoque tantum Domino grata , tantumque à sancto Jacob adamata : diu sterilis fuit : & tamen Joseph genuit , non solum dominum Aegypti , sed plurimarum gentium fame periturarum liberatorem . Quis in dicitibus vel fortior Samlone , vel sanctior Samuele ? Et tamen hi ambo steriles matres habuere . Si ergo ratio verbis meis tibi non persuadet credere dilatos diu conceptus & steriles partus mirabiliores esse solere . Proinde Anna uxor tua pariet tibi filiam : & vocabis nomen ejus Mariam : haec erit , ut novistis , ab infantia sua Domino consecrata : & Spiritu sancto replebitur adhuc ex utero matris . Omne immundum neque manducabit neque bibet : neque inter populares fornicetur turbas , sed in Templo Domini conversatio ejus erit : ne quid de ea sinistra vel suspicari saltem possit vel dici .

Itaque aetate procedente , sicut ipsa mirabiliter ex sterili nasceretur : ita incomparabiliter virgo generabit altissimi filium , qui Jesus vocatur : secundum nominis etymologiam Salvator omnium gentium erit . Et hoc tibi eorum quae annuncio signum erit : Cum perveneris ad auream , in Hierosolymis , portam : habebis ibi obviam Annam uxorem tuam , quae de tuae regressionis tardatione modo sollicita : tunc in aspectu tuo gaudebit . His dictis angelus discessit ab eo .

Deinde apparuit Annae uxori ejus dicens : Ne timeas Anna , neque phantasma putes esse quod vides . Ego enim sum angelus ille , qui preces & eleemosynas vestras obtuli in conspectu Dei : & nunc missus sum ad vos , ut annunciem vobis nascituram filiam : quae Maria vocata , super omnes mulieres erit benedicta . Haec à nativitate sua , statim Domini gratia plena , tribus ablactationis suae annis in domo paterna permanebit . Postea servitio Domini mancipata , à templo usque ad intelligibiles annos non discedet . Ibi denique jejuniis & orationibus nocte ac die Deo fervens , ab omni immundo se abstinebit . Virum nunquam cognoscat : sed sola sine exemplo , sine macula , sine corruptione , sine vitii commixtione , virgo filium , ancilla Dominum , & gratia & nomine & opere , salvatorem mundi generabit . Itaque surge , ascende Jerusalem : & cum perveneris ad portam , quae aurea , pro eo